Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26054
Copyright: Admont, Benediktinerstift



spicas tritici latenter ingressi sunt et percusserunt eum in inguine: et reliqua.

Duo uiri isti principes erant super expeditiones isboseth. mortuo uero abner ut ebrei tradunt consiliati sunt cum myfiboseth. ut unam interficerent isboseth et eundem mifiboseth constituerunt regem. et eiusdem consilii delatorem eundem mifiboseth extitisse. et idcirco hic idem mifiboseth subintroducitur hoc modo. Erat autem ionathe filio saul filius debilis pedibus, quinquennis enim fuit quando uenit nuntius de saul et ionathan exiehrael et cetera. Videntes uero baana et rechab a mifiboseth suum proditum esse consilium. timore perterriti fuga lapsi sunt in gethaim. fuerunt que ibi aduenae usque ad tempus illud. Tempus illud intellegendum est quando inde reuersi domum isboseth feruente die ingressi sunt assumentes spicas tritici et percutientes eum in inguine.

Spicas tritici quasi causa primitiarum tulerunt. ut honorem regi deferre uiderentur. et eorum dolus nequaquam deprehenderetur. Mystice autem ostiaria triticum purgat. cum mentis custodia discernendo uirtutes a uitiis separat. quae si obdormierit in mortem propri domini insidiatores admittit. quia cum discretionis sollicitudo cessauerit. ad interficiendum animum malignis spiritibus iter pandit. Qui ingressi spicas tollunt. quia mox bonarum cogitationum germina auferunt. atque inguine feriunt. quia uirtutem cordis delectatione carnis occidunt. In inguine quippe ferire est. uitam mentis carnis delectatione perforare. Nequaquam uero isboseth iste inopinata morte succumberet. si non ad ingressum domus mulierem. i. ad mentis aditum mollem custodiam deputasset. Fortis namque uigilique sensus proponi cordis foribus debet. quem nec negligentiae somnus opprimat. nec ignorantiae error fallat. Unde bene et isboseth appellatur est qui custode femina hostilibus gladiis nudatur. Isboseth quippe uir confusionis dicitur. Uir autem confusionis est qui forti mentis custodia munitus non est. quia dum uirtutes se agere estimat. subintrantia uitia nescientem